

PROBLEMA
PHYSICUM
DE MIRABILI QUODAM
REPULSIONIS EFFECTU.

Ex succi Tithymali in aquam instilla-
tione resultante,

NUNC FORTE PRIMUM PHILOSOPHIS PROPOSITUM,
SED SOLVI ETIAM ATQUE ILLUSTRARI
TENTATUM

A THOMA VILLANOVA,
DOCTORE MEDICO-PHYSICO
VALENTINO.



FACULTATE REGII CASTELLAE SENATUS.

V A L E N T I A :

Typis Josephi Stephani Dolz, Sanctæ Inquisitionis Typographi.
M. DCC. LXXIV.

PROBLEMA
PHYSICUM
DE MIRABILI GUDAM
REVELATIONIS INTEGRO
Ex scripto Physicorum in quatuor libris
non lessus
NON SOLUS PRIMUM PHYSICORUM PROLOGUM
Sed solus etiam ratio HISTORIA
TESTAMENTI

A V A N O A
M U L T A M O N T A
C O M P O N E N T I A
T R A C T A T U S
A C C U M I L A T I O N E
C O M P O N E N T I A
T R A C T A T U S



INTRODUCTIO.



ST sane spectabilis Natura in omnibus suis operibus, quae vero ex his insolito fieri videntur ac praeter rationem ordinariam, haec nos magis in admirationem rapiunt; atque hujus quidem generis est Phaenomenum, quod modo examinare aggredior, de quo tamen id etiam miror, quod l'physicorum attentionem hactenus subterfugerit, qua profecto non mihi visum est omnino indignum, non enim Repulsionem aliam, post magneticam & electricam, notabiliorem novi; ipsum praeterea non est adeo infrequens, ut nequeat recte dici quotidianum, sponte enim ita fit, ut fere assidue contrectemus instrumenta, ac debitam faciamus applicacionem, effectu inde subsequente; sed video quod res sit, scilicet adeo foecunda est Natura mirabilium operum, ut ipsis facultas hominum, non dico capiendis, sed neque observandis sufficiat. Idcirco hac de re scribere haec pauca, ac meam simul sententiam explicare decrevi, non quod mea expositione mirum rei substrahere intendam, neque enim, ut puto, à mechanicis sensibilibusque materiae affectionibus pendet, quemadmodum sponta-

neam florū Verbasci , mox post succussam plantam, decidentiam olim exposui (*) ; sed quod omnis de re physica singulari pertractatio sine ratiocinio aliquo instituta , mutila & imperfecta videatur. Forte ansam praebebo aliis , ut numerosioribus magisque ex arte institutis experimentis , rem illustriorem reddant ; mihi tantum liceat , quae non sine festinatione observavi & cogitavi in medium nunc proferre , ad quae tamen , quaecumque fuerint , operam mihi gratissimam contulit V. Cl. Angelus Tillius M. D. & Pisis Botanices Professor , qui me rem herbariam docturus , amplissimam horti copiam pro humanitate sua fecit , commodamque procuravit & loci & temporis opportunitatem , ut tentare possem experimenta deinceps adducenda.

PHAENOMENUM.

A Qua quiescens levibus inquinetur corpusculis , vel uti chartaceis segmentis , vel arborum foliis fiscis manibusque contritis , vel olei guttis hinc inde sparsis , vel ipso etiam ex injecta terra pulvere , vel utcumque aliter , modo tamen non inde fiat crusta aliqua cohaerens , aut intertextum non facile solubile : tum caule cujuscumque Tithymali nostratis recens abscisso , instilletur succi ipsius lactei gutta unica in media aquae sic paratae superficie , vel quod in idem recidit , ipsum caulis secti extremum succo turgens leniter intingatur aquae:

(*) Pisis 1771. En hujus explicationis specimen : Corolla in Verbasco monopetala est , rotata , & à germine subrotundo perforata , quae dum explicatur calycem quinquepartitum & elasticum valde distrahit ; non tamen ideo statim , ac vi succussionis soluta est , decidit , sed à germine sustinetur . quounque humore ex lacerato ipsis oculo producente ac germen lubricante fit , ut ex eo tandem à calyce detrudatur ; id autem non continuo , sed aliquantulo elapsò tempore , perfici debere , ipsa rei natura manifeste suaderet. Atque *εξ αὐτοφιας* pariter constat , Verbasco huic experimento aptissimum esse illud , quod finiatum à Linnaeo cognominatur.

3

aqua : statim accidet , ut à contactus loco corpuscula innatantia notabili cum spatio tum impetu , veluti si exploderentur , undique refugiant ; succo interea omni , quantum oculis apparet , fundum paullatim petente.

EXPLICATIO.

Spiritus plantas vegetans ita esse debet constitutus , ut cum aqua , quae unicum est in ipsis nutrimenti vehiculum , magnam habeat affinitatem ; at prae subtilitate id etiam habere debet , ut facile separari possit à reliqua succi massa glutinosa & aquea salibus terra aliisque constante materiebus , quae simul permixtae & intra poros aquae , quae praecipuam constituit molem , magna ex parte receptae , totum quodam necessario efformant aqua pura densius , atque adeo etiam gravius ; unde non mirum , si in aquae imum feratur succus Tithymali , sicut & cujusque alterius plantae ; verum sub eodem casu pars tenuissima & subtilissima , supradictum spiritum constituens , in superficie aquae segregata & innatans subjectum unioni aptissimum contingit , aquam scilicet , à qua ob naturae conformitatem , quam supra innui , attracta expandi statim debet , quo latissima , quae esse potest , superficie ei cohaereat . Quod si jam porro in Tithymalo , ut succulento & acerrimo , is exuberet spiritus prae aliis plantis , vel subtilior & mobilior reperiatur , debebit pariter haec ipsius vera expansio , vel illa apparens corpusculorum repulsio esse notabilior .

CONFIRMATIO.

Haec profecto explicatio ex conjectura tantum est elicita , neque quid me amplius praestare posse in phaenomeno praesertim pure physico exponendo candide profiteor ; id tamen generis rationes haud esse

sine vi suadendi tum maxime credo , si è rei natura
quum petiae fuerint , non praeterea infirmantur , quin
potius confirmantur experimentis diversimode institu-
tis , quaecumque autem circa hanc rem notatu digna
observavi , fideliter proponam.

Experimentum I. Si in eadem immota aqua , in qua
semel fuit experimentum institutum , novo adsperso
pulvere , tentari iterum velit , vel non succedit ef-
fectus , vel certe erit longe minor. Hinc patet , ex ex-
perimento primum tentato relinquì aliquid super aqua,
pellucidum quidem p̄ae tenuitate & inconspicuum,
sed quod sequentium tentaminum successum impedit,
ob id fortasse , quod spiritus post expansionem lentes-
cat , sive aquae frigore densemetur , sive pars ipsius vo-
latilior dissipetur , unde tanquam pellicula oboriatur
non facile impulsu priori aequali discerpenda.

Experimentum II. Folio arboris glabro aquam non
respuente nec interim madefacto , vel vitreae politae
laminae imponatur aquae gutta una , quae tenuissimo
& levissimo circunspergatur pulvere ; dein huic gut-
tae attente applicetur succus Tithymali , & quidem
ex ipso caule , à quo fiet ut in contactu separetur suc-
cus , & aquae immisceatur , nullo interea motu in cir-
cunsperso pulvere apparente ; unde liquet , in Phae-
nomeni nostri productione nihil esse explosioni tri-
buendum , quam quidem suspicari non incongruum
fuerit , ex mixtura scilicet substantiae causticae cum
aqua , quemadmodum ex calce viva effervescentia ori-
tur. (*) Quinimo ex subita succi à caule separatione
ac intima cum aqua unione , nostra iterum attractio-
nis ratio confirmatur.

Experimentum III. Quod si frons madefacta fuerit,
non

(*) Idque eo magis suaderi potest , quod aliqui sint Tithymali
(ut Euph. heliosc. L.) , quorum semen , ubi maturuerit , adeo spiritu
vaporoso turget , ut in solo relictum , quasi sese moveat , exiliat , me-
diumpque crepet „ Dalech. Lugd. p. 1648.

non aliter succus , atque aqua gutta , quaquaversum diffundetur , deest enim in hoc casu spatiū summersionis ; si vero quis quaerat , cur , his ita se habentibus , phaenomenum ex gutta aquae non contingat ? Responsio est in promptu , haec enim ejusdem est cum ipsa aqua gravitatis : unde fit , ut in superficie non expandatur , sed immergatur . Quippe ad tentaminis successum non solum attractio facit , sed & levitas & subtilitas liquoris injiciendi : ex his vero duo posteriora aquae desunt , sicut & oleo communi duo priora : ex neutro igitur effectus expectandus . Forte ex Opolbalsamo , maxime dum recens est , phaenomenum continget , est enim hujus balsami hoc criterium , quod latissime super aquam diffundatur (a) ; quod si nihil ex eo contingat , proculdubio erit ob defectum attractio- nis ; est vero attractio necessaria , ut dilatatio fiat cum impetu , prout ad phaenomenum requiritur .

Experimentum IV. Iam si loco aquae ad examen adhibeantur liquores alii , observabitur , in Vino & Aceto phaenomenum contingere , secus in Oleo , quin succus in sphaerulam contractus innatabit , nihil desidente . Nec mirum , quippe Vinum & Acetum aqua sunt ; Oleum è contrario aquam , & quidquid aquae est affine , respuit , ac propterea etiam succum , qui nihilominus in oleo natare solet , quia parvum quum sit guttae unius pondus , sufficere nequit substantiae olei ramosae dividenda .

Experimentum V. Caulis Tithymali incurvatus in aquam ad phaenomenum paratam immittatur , dein introducta forfice secetur , nihilque extrahatur . Accidet , ut succi pars crassa in fundum pro more abeat , dum tenuis suspensa manens nec fundum nec superficiem petet , sed interfluet tantum , nullaque propterea fiet in corpusculis natantibus immutatio , idque licet

(a) Vid. Geoffr. Mat. med. P. 2. S. 1. c. 7. art. 1.

cet sectio esset proxime superficiem instituta ; quod quidem mihi videtur magnae attractionis argumentum, quum tam descendere cum crassa parte permixta, quam ob levitatem suam adscendere praepediatur ; id vero amplius constabit ex sequenti experimento , quo , hanc tenuem succi partem esse aqua leviorem , manifesto evincitur.

Experimentum VI. Aquae affundatur oleum , dein sectus Tithymali caulis per medium oleum immittatur usque in aquam , quam ubi succus attinget , statim à caule separabitur & in fundum abibit , tenui tamen parte excepta , quae ibi relicta innatabit , interque contiguas aquae & olei superficies sensim diffundetur ; quantumvis enim tenuis existat , ab olei pondere coercita in circularem quasi pelliculam abit , quae colore albido fit conspicua ; ipsam vero esse phaenomeni causam , sic ostenditur.

Experimentum VII. Innovata aqua parum instillatur olei , ut fiat macula libere innatans , quae jam circunspergatur pulvere , more solito , tum caulis abscissus immittatur ut ante , sed prope maculae limbum , quo scilicet aliquod pelliculae inde efformandae segmentum ab oleo exeat. Porro in hoc casu Phaenomenum illico continget , quin & ipsum oleum eodem tempore retrocedet , ut tandem vim succi expansivam liceat ex dupli capite aestimare , & ex rapido paleolarum propulsarum motu , & ex magna olei retrocedentis mole.

Atque his quidem experimentis abunde demonstratum mihi videtur , partem succi tenuiorem sese cum impetu in superficie aquae diffudentem esse phaenomeni caussam ; superest modo , ut in ejus actionis naturam inquiramus , num videlicet ab attractione dependat , id quod non jam sensibus , sed ratione tantum determinare licet.

Profecto omnes caussae hucusque cognitae motum
in

in corporibus producentes novenarium numerum non excedunt, hae vero, referente MuschembroeKio (b) sunt Deus, Gravitas, Anima (vel potius Spiritus, Vis attrahens, magnetita, electrica, Elasticitas, Percussio, Ignis; sit vero necne haec enumeratio exacta ac brevissima, nihil moror; sufficit modo completam esse nullamque caussam excludere; quaenam vero jam ex his omnibus ad nostrum faciat phaenomenum, quod quidem motus est, certe praeter attractionem cognoso plane nullam, adeo ut semel recensitis supervacaneum putem verba & tempus in aliis sigillatim excludendis caassis impendere; nihilominus ut hanc ipsam confirmem sequens adducam experimentum.

Experimentum VIII. Parum iterum olei in aliam aquam simul affundatur; parum quidem, ut fiat macula libera; simul vero, ut quid aeris alicubi intercipiatur, qui tamen si intercipi non contingat, oportebit, oleum bacillo concutere, donec in bullam aliquam assurgat. Tum caulis Tithymali abscissus immittatur per medianam bullam usque in aquam; fiet inde ut pars succi tenuior ex contactu relictâ in superficie aquae sensim distendat bullam donec ipsam superne rumpat (*), dein & olearem anulum celeritate aucta distrahat, donec discindat, ac figuram demum inuertat, grato spectaculo.

Ex hoc experimento plane constat vim succi expansivam per partes successive nasci, id quod etiam in aliis ante recensitis tentaminibus observare licet, si cum

B

at-

(b) Vid. Elem. Phys. §. 145. seq.

(*) Diversa utique olei ab aquae natura haud parum ad hunc succi effectum confert, quod veritatis gratia hic notandum duco, inde namque sit, ut aerea bulla non sit sphaericum segmentum, sed inferius & ad latera convexa, in medio & superius concava, atque adeo instar testudiniis aut camerae, cuius orthographiam exhiberet fornix à semicycloide elongata regulatus, aut qualem figuram suscipit hydrargyrum dum globum plumbeum sustinet, quapropter succus mechanice etiam, cunei instar, adversus oleum agit.

attentione fiant ; id vero maxime in eo experimento, quod pro Phaenomeno assumpsimus , appareat ; facile enim percipi in ipso potest , paleolarum repulsarum motum sensim celeriorem fieri per notabile spatium, indeque tardiorem reddi usque ad quietem. Evidem ut dilatatio succi versus finem retardetur , ac tandem desinat , non una est caussa , nam & ipse succus sese diffundendo minuitur , ineptiorque ad motum redditur, & obstacula tam superanda quam movenda perpetuo augentur ; verum enim ut ab initio successive fiat celerior , nescio an aliud in caussa esse possit , praeter attractionem ; necessario enim ad id requiritur potentia indesinenter agens , cuius respectu quiescat succus, & ea solum esse posse videtur ipsa aquae superficies, quae superincubentem succum ad sese circumundi que rapiat , atque ita undulam assidue devolvendo, expansionem ipsius acceleret.

Atque haec satis de Phaenomeni ratione , deque experimentis cum Tithymalo institutis ; expedit jam narrare , quid ex aliis plantis in tentamen adductis observaverim ; pro quo sit.

Experimentum IX. Paretur aqua omnino quiescens tenuissimo pulvere leniter adspersa , ut scilicet omnis, quantulacunque immutatio , fiat sensibilis ; tum variae ad tentamen adhibeantur Plantae , quarum caulis ramus folium aut alia quaevis tenera pars recens excisa aquae attente admoveatur , atque ex omnibus observabitur produci Repulsionem , quae tamen vi & quantitate variabit pro plantarum differentia , & in singulis etiam pro ipsarum aetate , partium diversitate , & anni tempore ; in genere autem sic fieri solet , ut quo uberior & acrior reperiatur succus , nec tamen nimis lentore peccet , eo major Repulsio subsequatur. Sic ex mollissima Malva (tota Familia Adansonii num. L.), aliisque fere exsuccis plantis ac saporis herbacei , vix est sensibilis , ni prius planta aqua madefacta manibus que

que consciſſa , ſuccus exprimatur ; ex Sio (toto Gene-
re Linnaei Syst. p. 211.) , aliisque non nihil acribus
ac ſucculentis plantis fit jam conſpicua , nulla licet
preparatione adhibita ; notabilior eſt ex Chelidonio
(Ch. M. L.) ; magis adhuc ex Scamonea Valentina
Cluſii (Cynancho monſpeliano L.) , & quanta ex Ti-
thymalis noſtratibus expectari poſſet ; ex Toxicoden-
dro denique (Rhue-T. L.) maxima & mirabilis , pre-
ſertim ſi tentamen inſtituatur , ut inſra exponam. (*)

Interea vero quum de varietate effectuum pro
plantarum diuersitate sermonem inſituo , non incon-
ſulto addo *Tithymalos noſtrates* , ſiquidem experiendo
didici , in Ela , & Tiru-Calli (c) , Fefel-Tavil (d) ,
quas plantas Linnaeus Euphorbias vocat , nerifoliam
nempe , Tirucalli , & viminalem (e) , nec non in Fi-
cu (F-Carica L.) , Apocyno (Asclepia fruticosa L.) ,
aliisque australibus plantis lactiferis , maxime attenden-
dam eſſe anni tempeſtatem , pro qua ſucci lentoſ in
ipſis valde variat , adeoque & Repulſionis effectus . No-
tavi etiam diſſerentiam aliquam in *Lactucis Adansonii*
(f) ; ſed vix ullam in *Tithymalis* herbaceis europaeis.

Atque ad hunc locum pertinere etiam arbitror ex-
perimentum ſingulare , alias quidem notum , ipſe enim ,
ut verum fatear , Bononiae illud accepi ex Cl. & Nob.

B 2

Fae-

(*) An vero , & quid ex Lobelia longiflora L. contingat , di-
num ſane eſt obſervatu , de hac enim referebat inter Demonſtantum
Gel. Jacquinus , cui multa in Botanicis debo , ſe ex ſola ejus mani-
bus attrectatione pene obcoecatum in Jamaica fuiffe , net aliam eſſe
aſſerebat magis venenatam plantam ; equidem in hypocauſto , ubi ip-
ſa vegetat , nemo potest diu conſiſtere , quin ex capite affici incipiat , &
primum quidem vertigine ; ego non poſſum , quin meam modo om-
missionem doleam , qui quum ſaepius hanc plantam , & quidem mul-
tiplicatam , in Horto Viennensi viderim , nihil unquam de ipſa ſim
expertus .

(c) Rheede H. Malab. vol. 2. p. 83. t. 43. & vol. 8. p. 44.

(d) Prosp. Alpin. de Plant. Aegypt. 190. t. 19.

(e) Species pl. 3. p. 648. & 649.

(f) Famil. XVI. Sect. 1.

Faemina Laura Bassia , Instituti Scientiarum Socia , & Philosophiae in ea Universitate Doctrice & Lectrice publica , cui plurima me debere , cum in aliis , tum maxime in Electricorum scientia , lubentissime profiteor ; stat vero experimentum in novo quodam & concitato folii aurei spiritu vini intincti & aquae dein impositi motu , quem tamen ad nostrum phaenomenum referri , sequens tentamen ostendit.

Experimentum X. Parvum chartae segmentum aquae imponatnr , tum spiritus vini gutta una vel altera supra injiciatur , ut nempe sese diffundens in aquam tandem delabatur , quod ubi continget , continuo chartula in adversum excurret , & quidem celerrimo motu , & varia directione pro diversa segmenti figura. Hujus effectus ratio eadem est ac experimenti VII. nisi quod motus in praesenti casu sit minor , quamvis celerior , ob majorem scilicet spiritus vini tenuitatem & puritatem , quo etiam fit , ut facilius aquam penetret , partimque avoleat , unde aquae superficies aliis experimentis relinquitur. Si Tithymali succus loco spiritus instilletur , effectus erit idem ; quinimo si chartula ipsa succo imbuta in aquam projiciatur , non minus gratum , quam folium aureum spiritu vini intinctum , praebebit spectaculum. Praeterea non hic ommittendum , me in Cynancho erecto Linnaei simile quid , ac Cl Femina ex folio aureo , jam ante in illius sucii fibris observasse , quum eo nempe tempore , quo humor in hac planta incipit per aestatem absumi , experimenta caperem ; nec denique admodum raro mihi contigit ; similem motum in experimentorum fine animadvertere , quum ea ex Toxicodendro sequenti modo instituebam.

Experimentum ultimum. In piscina , aut alia quavis late stagnante aqua , praeparata , ut saepius diximus , ramulus aut folii petiolus recenter ex Toxicodendro avulsus intingatur , & quidem pleno die ; ac nedum

inde fiet repulsio maxima , quippe quae ad duos tres-
ve pedes se extendat ; sed & in contactus loco ver-
sicolor macula relinquetur , quae sensim decrescit us-
que dum evanescat , tumque demum particula , si qua
forte heterogenea restiterit , miro spectaculo concu-
titur , & aliquo versum rapitur . Habet sane hoc Ex-
perimentum quid prae aliis singulare , sed quae spec-
tabile faciunt , ab instituto nostro abludunt , quare
& ab ipso me brevi expediam .

Quanta sit succi Toxicodendri virulentia satis su-
perque iis notum est qui hanc plantam incaute , vel
tantum manibus , contrectarunt (*) : non ergo mirum ,
quod tanta ex ipso fiat repulsio . Jam vero dictus suc-
cus , praeter partem crassam in aqua deorsum ten-
denter , videtur duabus aliis levibus , & quidem dis-
gregatis , constare , alia spiritosa , à qua repulsio praeci-
pue pendet , alia oleosa , quae peracto experimento
non obscure ostenditur , si aqua leviter bacillo percu-
tiatur , nam inde salientes guttulae non facile , dum
in

(*) Hujus fruticis naturam satis apte nomen ipsum indicat ,
quod *Veneni arborem* interpretantur . Haud ignoro Petrum Rossium
Florentinum experimentis probare intendere , hanc plantam neque ore
assumptam , neque sanguini infusam , esse virulentam (in Epist . ad J .
Lapium) ; sed an ex brutis ad homines recta est consequentia ? Sane
Tithymalus comeditur à capris , verum homini est venenum , ipseque
puerum vidi ex ejus masticatione pessime habentem ; sed nec ipse Ros-
sius proprio malo edocitus (pag . VI .) negare potest , Toxicodendri suc-
cum attactu solo laedere ; at quoniam neque id malum magni facit
Auctor , juvat hic , quod ipse vidi , paucis enarrare : Quum folia ego
ex hac planta ad observationes meas caute & attente divellerem , vo-
luit amicus officii gratia sarmentum integrum manibus excidere , quod
vix quidem potuit , nec tamen potuit , quin manus succo inficeret ,
inde , frustra interea de mundatione admonitus , sudorem ex facie ,
illotis , ut ajunt , manibus , extersit ; post unam vel alteram horam pru-
rire incepérunt affectae partes , die sequenti ita rumebat facies , ut oculi
pene occultarentur , nec aliam unquam tumidiorem vidi ; brachia
insuper & manus tumida & ulcerata erant , interim carebat febre , ad-
hibitisque tepidis ex aqua cum aceto perlotionibus , ac Theriaca ex vi-
no assumpta , non nisi post dies quinque restitutus fuit .

in aquam redeunt, immerguntur, sed per superficiem propere delabuntur. Ex his duabus substantiis debita crassitie superstratis & celeri motu perfictis, specialis oritur lucis refractio thaumanticos exhibens colores: unde constat, maculam sine harum materierum expansione haud fieri, cum ipsa tamen & fieri & evanescere: ideo in aqua parvo collecta spatio nihil contingit (id quod probe notandum, ne id ipsum observare volentibus tantum, quam mihi olim, fecessat negotii); in late vero stagnante si, dum fit, pulvis aliquis assidue inspergatur, is rapide quaquaversum dispergitur: cui causae tribuendus etiam venit concitatus ille ultimae partis maculae motus, qui saepe versus finem obser-vatur.

Nunc vero tandem, antequam experimenta dese-ro, monitum Lectorem velim, ne omnes motus in fluitantibus corpusculis resultantes, dum varia intinguntur corpora, ad id causae genus, de quo hucusque locutus sum, referat, vel me referre putet; haud enim ignoro plurium talium effectuum diversas esse rationes posse, & sequentibus non absimiles: Si corpus alliens aquam eidem adplicetur, haec ad contactum elevatur, unde proxima corpuscula per inclinatum & lubricum planum elapsa repulsionem mentiuntur; quod si corpus intingendum aquam respuat, aliter res fit, & simulatur attractio, non secus atque dum corpus siccum aquam imbibit, aut quando successive immergitur, corpuscula ad se ex superficie trahit. Oportet ergo haec, & alia nullam cum re nostra rationem habentia, ab his experimentis sedulo distinguere, ex quibus denique licet inductione colligere, Phaenomenum de quo agimus, esse generale, tum & frequen-tissimum, ut non immerito quotidianum appellaverim in opusculi praefatione.

APPlicatio.

Mutua haec insignis atque specialis attractio , quae aquam inter tenuemque plantarum succum intercedit , non potest in Natura esse sine magno etiam ac proprio usu ; quumque praecipua & magis peculiaris plantarum functio , in qua tota videtur stare ipsarum vita , sit vegetatio ; ad hanc maxime facere primum est credere. Mihi videtur haec subtilissima ac mobilissima succi plantarum pars , aquae amicissima , spiritus vegetans , seu plantarum anima , recte appellari posse ; modus vero , quo ad harum nutritionem & augmentum concurrat , non nisi abditissimus esse debet , ut pleraequae aliae Naturae operationes , de quibus conjicere quidem licet , sed asseverare aliquid non licet. Ipse , dum datur , hanc conjecturam facio : Anne scilicet aqua ex aere , medio praesertim rore , plantis adveniens , easque tam per vasa bibula , quam per pores , constanti naturae pro tubis capillaribus lege , penetrans , huicque cognatissimo humori in penitissimis & ex radice provenientibus vasis recondito proxime accedens , ipsumque ad se trahens , praecipuam conferat operam ad illius cum in finibus tum in interstitiis positionem , quo moleculae plantam componentes magis ac magis explicitur ac in trinam dimensionem augeantur ? Haud equidem vim solis ad haec etiam facere negaverim , nam ad coctiones , filtrationes , attenuationes , sublimationes , aliasque succi nutritii praeparationes necessario requiri mihi videtur ; sed non aequa mihi videntur haec sufficere ad illum impetum succo imprimendum , quo opus est , ut inter contiguas crescentis plantae moleculas aliae ad incrementum novae intrudantur. Profecto si quantum plantae sub dio vigeant consideremus , quantoque magis pluvia ,

via , quam irrigatione juventur , non omni apparebit fundamento destituta conjectura nostra , de qua satis.

Sed neque usu carere videtur in vita humana Phaenomenum nostrum , contingit enim saepe aquas stagnantes & in superficie conspurcatas bibere ; sub his casibus non solum , injecto Tithymali succo , aqua comparet limpidissima , sed & prava ipsius ac obstruens qualitas ob natantis succi acrimoniam , vimque aperientem , emendatur ; omnes siquidem insignes humanis corporis vacuationes , emesis , catharsis , diuresis , diaphoresis , non nisi facultatis medicamentorum gradu differunt , nihilque tam est acre , nec ipso quidem sublimato corrosivo excepto , quod non adeo , minuendo dosim , infringi possit , ut è vehemettissimo emetico diaphoreticum usque uon evadat (g) ; ipseque jam video dictum sublimatum ab octava ad quartam grani partem in substantia , ut loquuntur medici , praescribi ; ad haec Rulandus , ut proprius ad rem accedam , arcanum suum pro hydropicis ex esula , quae Tithymali est species , comparabat (h) ; sed quid moror ? ad experientiam appello , Ayeli enim , quod oppodium est in Valentino Regno ad Setabinam ditionem pertinens , unde hujus Phaenomeni cognitionem hausit , solemne est rusticis ea arte pro depurandis aquis uti , ibique rarissimos invenias viros hydrope affectos , quum tamen feminas ibidem sic perire non sit admodum rarum , quod quidem notatu est dignum : interea vero nemini id facere auctor facile ero , haud scilicet ignarus aliqua hic cautione uti oportere , ac rusticorum corpora longe aliis praevalere .

APO-

(g) Boerh. de Virib. Medicament. P. III. cl. II. c. XIII. n. 3.

(h) Id. ib. c. VII. n. 8.

APOLOGIA.

Hucusque alias nostra dissertatio ; expedit tamen loco corollarii duabus occurriere objectionibus, quibus forte data est occasio , nam primum quis peripateticus arguat me de circuli vitio in Phaenomeno exponendo , quum enim Attractio & Repulsio sint contrariae , ejusdem esse debent rationis , ut docet Aristoteles (i) ; utraque vero est aequa incognita ; ad quid ergo Repulsionem explicare ex Attractione ? quid si contra ? Has praeterea vires mire implico in Experimento VIII , in quo nihilominus si quid recta ratio valet , & res eo , quo dico , modo se habet , non utique potest ex illo tentamine totus ille effectus exspectari ; sed oportet , succum ad majoris obstaculi presentiam in totum quiescere , ac solum premere ; imo vero nec premere potest , si enim ab oleo repellitur , ut ex Experimento IV. constat , impotens erit inflictum immediatum exequi ; at denique cur oleum succum respuat ? cur aquam ? quum sit succus vegetabilis , à quo potius exspectandum esset Phaenomenum.

Haec objectio quatuor habet partes , quae sigillatim retundenda. Respondeo ad primam , Attractionem & Repulsionem tum fore contrarias & ejusdem rationis , quum fuerint vere tales , non apparenter ; jam vero Repulsio , de qua hic agitur , apparetur est , adeoque non contraria Attractioni , idque licet ab ea non penderet ; quid vero vetat hanc pro causa assignare , quae & vera est , & sufficiens ; quin interea ostendat causam harum virium ignorasse , si forte sit alia praeter Dei O. M. voluntatem ; de quo videndum MuschembroeKius

C

cum

(i) Topicor. L. VI. c. IX. num. 4. Item Ethicor. L. V. c. I.

cum Genuensi (*). Ad alteram dico , resistentiam olei non esse in citato casu majorem impulsu succi , ideo vero paullatim cedere , quia massa non tota simul impulsu sentit , ut fluidis ac mollibus corporibus est celebre , in quibus ob remotiorum partium inertiam efficitur , ut proximiores ad impulsus actum in non elasticis eleventur , in elasticis comprimantur , quod quidem quum sine reactione fieri nequeat , necesse est ut impetus non simul , sed mediis undulis sive elatis sive condensis per vices & successive ad extremas partes protrahatur , ut videre est in aestus marini per mediterranea , ac soni propagationibus. Quod ad tertiam objectionis partem attinet dico , mutuam aquae & succi attractionem fortiorum esse , quam repulsionem succi & olei , idque ad oculum patere in Experimenno VI, in quo quidem aqua & oleum totis pugnabant viribus respectu succi , qui nihilominus per superficies insinuabatur & subterfluebat ; porro si vis olei succum repellens viribus aquae attrahentibus praevaluisset , proculdubio hic vel supra aquam mansisset contractus , vel subter ipsam cum crassiore parte permeasset. Fortasse haec minor succi , quam aquae , respectu olei reluctantia provenit ex eo , quod succus inter alias , ex quibus constituitur , partes , oleosam quoque habet , cuius ratione minus evadit cum oleo communi heterogeneum.

Ad

(*) Element. Phys. cap. XVIII. Profecto caussae gravitatis ignorantia , vel , si adversario magis placeat , ignoratio , non obstat , quominus phaenomena inde pendentia recte explicitur ; at gravitas species est attractionis. Ego vero non aliam , praeter Dei O. M. jussum , esse attractionis universalis caussam , satis superque sum persuasus hoc potissimum argumento , quo jam alias ante novem annos eram usus , Actio Naturae est motus... Omnis à Deo jubente producitur , neque alia quaerenda est primi motus ratio. Sed statim iste quaeritur : unus solum est simplex , & communis , & , quod caput est , alter inexplicabilis , nempe mutua materiae attractio... Consulto vero supposui supra Gravitationem... patet ergo omnem alium motum ex gravitate primò procedere per machinas nempe mutuatum , & per collisionem communicatum „ (Thes. pro Doct. Laur. Val. 1764. §. 4.)

Ad ultimam denique objectionis partem respondeo, oleum commune non esse succum vegetabilem, sed ipsius quandam partem defoecatam, & quidem principio tenui phaenomenum alias producturo destitutam; cumque autem id experiri velit, ipsius Oleae drupae pericarpium, hoc est, olivae carnem contundat, & si oporteat, aqua madefaciat, tum succum in aquam paratam exprimens phaenomenum obtinebit.

Secunda objectio est quorundam Φιλάνθρωπων, qui saluti publicae praesertim rusticorum ab hoc meo scripto timent; sed proh deum atque hominum! non ego rusticis, sed philosophis scribo, non medicum ago, sed physicum: dum Ayelensium consuetudinem refero, rem narro, non suadeo, imo me suasurum aperte nego, ut si quis, postquam opium venenum esse asseruisset, addens apud Turcas nihilominus ad drachmas sumi, paculum committeret. Profecto ego de succo Tithymali, tanquam de veneno, ubique per dissertationem loquor: illum acerrimum dico (in Phaenomeni expl.), & causticum (in Exp. II.); ipsam plantam venenum absolute appello, atque ex ejus tantum masticatione puerum venenatum me vidisse testor (in N. ad Exp. ult.); denique cum sublimato corrosivo comparo (in Applicatione), licet immerito, nam huic longo intervallo cedit (*); si quis itaque ex iis, quae adduxi, pe-

ri-

(*) Nam Sennertus lac esulae à gr. iiiij. ad viij. prescribit (Inst. Med. L. V. P. III. S. I. c. V.); Bateus ad gr. viij. (Parenti lit. L. pag. 91.) Iam vero Pharmacopoei pro esula quemcumque Tithymalum capiunt (Geoffr. Mat. med. P. II. S. II. v. Esula). Zuingerus ait pro Scammonio vulgo accipi (Comp. Med. Tom. 1. pag. 517.); neque raro ipsum Scammonium succo tithymali adulteratur (Lacuna in Diosc. L. IV. c. 172.). Quid denique frequentius rusticis, quam Lathyridis grana ad se vacuandos devorare? quae Lacuna ad n. 15. concedit. (ib. c. 158.): Quod si porro haec conferantur cum iis, quae ex experimentis constant, scilicet succum tithymali in aquam projectum, totum, quantum oculis observare licet, in fundum abire; facile appetebit, quam nihil periculi ex simili tentamine, quod nihilominus suadere nolui, timendum foret.

riculum tentare vellet , aquas sibi ex succo tithymali depurandi , eum utique oporteret non rusticum esse , sed prorsus insanire ; verum enim ego longe aliter sentio , & bono potius , quam malo , id fore conjicio , dum non desunt , qui nesciant hanc plantam virosam esse , imo , ut mihi videre contigit , quibus ob caprarum exemplum persuader e non possis . Sed pudet in his diutius immorari .

F I N I S .